

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

LXII.

Salutem à filio DEI, Reverende vir, & amice colende. Hanc de tua pietate opinionem & spem concepi, ut statuam, te innocentum ministrorum Christi duris exiliis & variis ærumnis vere & ex animo adfici. Scio enim, te virum doctum, gravem & exercitatum in ministerio Evangelii intelligere, quibus periculis & adversitatibus fideles verbi præcones sint expositi, & quantum illi patrifamilias ærumnarum sit subeundum, qui cum parvis liberis & familia ob veritatis confessionem pellitur, & vix ubi sedem figat, locum invenit. Ac quia evidenter declaras, te à fanaticorum Calvinistarum & aliorum sectariorum erroribus abhorreere, non dubito, quin amore regni Christi incensus, eos, qui filio DEI fideliter serviunt, & veritatem Evangelii suis ærumnis obsignant, amplectaris & juvare cupias. Hac spe fretus, & quia existimem, tibi meam confessionem alienam à corruptelis, atque etiã innocentiam meam perspecta esse, has literas ad te scribo, humanitatem tuam obnixè rogans, ut mei aliquam rationem in hoc gravi meo exilio habere non graveris. Nihil dubitabis, quin ipsi Christo præstiteris, quidquid in me beneficii contuleris. Pulsus enim nunc sum è patria propter veritatis studium.

Scripti libellum, cui titulum feci: Discrimen inter veram & Catholicam doctrinam Ecclesiæ: & inter errores & blasphemias Papistarum & Romani Antichristi, eumque Resensibus dedicavi. Hoc meum factum inclementer accepit Juliacensis princeps, præcipue bilem illi movit, quod Papam Romanum Antichristum nomino, & concilium Tridentinum pro Anathemate habeo & Papistas condemno. Scripsit ergo iracunde ad senatum Wefaliensem, ut me pellerent. Senatus etsi fatetur palam, se non reperire in libello, quod ex fundamento divini verbi refelli possit, tamen eo dementia devenit, ut non dubitarit, contra suam conscientiam & confessionem, etiam contra jus civitatis, mandatum principis exequi. Vix autem credo, eos principi obtemperaturos fuisse, nisi adversus me privato odio quidam arsisent, quod inde conceperunt, quod Calviniano errori contradico, & concionatores Wefalienses Rollium & Papam de Calvinismo argui & admonui, & quia desistere volebant, illorum communionem fugi. Conjunxerunt igitur nunc operas suas Papistæ & Calvinistæ, in me opprimendo: alterius odio alter est abusus, ut suo quisque adfectui indulgeret. Etsi autem hoc novum exilium admodum mihi grave sit, præsertim cum & dulcissimam conjugem isthic peste defunctam, & charissimos liberos hyberno tempore mecum abducere non potuerim: tamen quia certus sum in conscientia, me ob veritatis confessionem has pati ærumnas, & pro Christi gloria exulare, sum Dei beneficio animo læto

& spe

& spe non dubia expecto divinam illam promissionem : Merces vestra copiosa est in cœlis. Quia vero nunc mihi hospitium quærendum est, venit mihi in mentem vestra Argentina, propter doctrinæ synceritatem, & scholæ celebritatem, & collegii vestri concordiam. Reverenter itaque & amanter à te peto, mi Marbachi, ut mihi significes, an à vestræ urbis Magistratu hospitium impetrare queam, ut mihi & meis parvis liberis exulibus liceat apud vos vivere, donec clementissimus & misericors pater me respiciat & me rursus in aliquam stationem colloquet. Si iudicabit senatus & collegium vestrum, me vel in scola vel Ecclesia usui esse posse, non detrectabo ullas operas & concordia studebo. Si mea opera non desideratur, meis vacabo studiis, frequentabo conciones, vivam de meo, quod Dominus suppeditavit, nemini ero molestus. Per commune nempe ministerium & conjunctionem, quam in Christo habemus, te obtestor, ut mihi propria occasione certi quid rescribas.

Hic enim Francofurti hæreo dispiciens, quo tandem commodissimè meam familiam transferre possim. Moveat te quæso ardens vox filii Dei, quam in gravi sua afflictione effudit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Cogita quid Christo debeas, si peteret hospitium. Et rerum humanarum instabilitas tibi ut homini sapienti veniat in mentem.

Audio pestem apud vos grassari: sed spero Deum ligasse vitam tuam in fasciculo viventium: lues hic remisit. Ajunt Bullingerum cum collega Bibliandro extinctum esse peste; significa quæso, num res sit certa.

Rumor etiam percrebuit, Sturmium isthinc moliri abitum. Bene vale, pro me ora & rescribe.

Francofurti ad Mœnum. 16. Decembr. 1564.

Tilemannus Heshusius,
exul Christi.

LXIII.

S. in Christo. Reverende vir.

IN tanta horum temporum acerbitate sæpè tui memini, ac oro Deum patrem Domini nostri Jesu Christi, ut te & collegas tuos Ecclesiæ diu incolumes elementer conservet ac tueatur. In hac regione sua sunt loca, in quibus pestilentia sævit, in aliis magis minatur adhuc exitium, quam exerceat. Studgardia, è qua aula una cum Cancellaria, ut vocant, aliò, in tutiora loca se contulerunt, omnia adhuc sunt tolerabilia. Proximis tribus hebdomadis abrepti tantum sunt hac lue, quadraginta. Reipsa comperio, multes intempesti-